

QR. 233.

VITAM
D. GEORGII AGRICOLÆ
EXPONIT,

Za
147

SIMVLQVE
SVMME REVERENDVM
DOMINVM EPHORVM,
VT ET
PATRES ET PATRONOS
INSIGNITER COLENDOS,
ALIOSQVE, QVI BONIS LITTERIS
ET SCHOLÆ FAVENT,

VI
ACTVI ORATORIO
CRASTINA LYCE d. III. IANVAR. MDCCLV.
H. L. Q. C.

FREQVENTER INTERESSE VELINT,
QVA PAR EST, PIETATE ET MODESTIA,
ROGAT ET VOCAT
ADAM DANIEL RICHTERVS,
RECT. ET REG. SOCIET. REGIOMONT. TEUT. SODALIS.



ANNABERGÆ,
LITTERIS AVGVSTI VALENTINI FRISII



VITAM
D. GEORGI AGRICOLAE

DOMINVM ETHORVM

PATRES ET PATRONOS
ALIOSQUE QUI BONIS LITTERIS
ET SCIANTIAE CAUSA

ACTVM IN
SACRO SACRILEGII

ADAM DANIEL RICHTERVS

ANNUS

LITTERARVM





Quum in viro erudito primæ magnitudinis, si quid aliud, illud certe præcipuum est, vt celebritatem nominis adipiscatur primum in patria, deinde etiam apud barbaros, D. GEORGIVM AGRICOLAM, qui, Consul olim Chemniciensis, ter quidem magiltrans, in vrbe Physicus et primus Principis, stirpis Albertinæ, Historiographus, Principum etiam in bello Medicus Castrensis, vir omni genere doctrinarum suo tempore præcellentissimus fuit, iis profecto adnumerandum esse ego existimo, qui ex doctrina sua suam patriam exteris nationibus claram et honoratam faciunt. Hic enim, præter alia multa, de rebus physicis, & præsertim de re metallica ita luculenter scripsit, perque effigies suis locis insertas omnia ob oculos posuit, vt non solum, quæ metallicam spectant, clarius non tradi possint, sed vt exteri etiam, inprimis Itali, multa, quæ ex hoc communi quasi disciplinæ metallicæ magistro demum cognoscunt, sua sæpe mentiantur. Egregium hoc reipublicæ Chemniciensis ornamentum, de quo Fabricius in itinere suo Chemniciensi pag. 326 testatur:

*Hinc, vrbs Casareis Cascum prope condita montem
Auspiciis, fluvii præterlabentis adepta
Nomen, Chemnicium nos excipit alire lato.
Hæc nunc ingenio Agricola celeberrima magno,
Qui pulchrum conscripsit opus, terraque sub alta
Dadala quod natura regit, caligine mersum
Obscura, doctorum oculis proponit, vt ante
Pondera restituit. Sci*

patriam habuit Glaucham, oppidum in comitatu Schoenburgensi non maximum, Chemnicio nostro in Misnia vicinum, vbi anno millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto, die vicesimo quarto Martii, inter horam quartam & quintam vespertinam, in lucem huius vitæ prodiit; quem annum natiuitatis AGRICOLÆ Bernh. Sturmii hoc Chronodisticho annotauit:

*Ingenio nVLLI, nVLLI ViciVte seCVnDV's,
In teneras aVras proDit AgricOLa.*

Postquam fundamenta bonarum litterarum, & praesertim graecæ linguae, in Germania feliciter posuerat, anno Christi, supra millesimum, quingentesimum, decimo octauo Cygneæ scholam graecam, quæ huius ludi tunc appellatio erat, aperuit; adque annum vigesimum secundum vsque, nouus scholæ Rector extra ordinem constitutus, per quatuor annos illam administravit. Quanto improbauit opere primum in iuuenta indulgentiarum mundinationes, illud isti versiculi ab ipso Zwickauia, anno decimo nono, compositi & publice affixi, probare possunt, qui sic habent:

Si nos iniecto saluabit cistula nummo,

Heu nimium infelix tu mihi pauper eris.

Si nos Christe tua seruos morte beasti,

Iam nihil infelix tu mihi pauper eris.

Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo, quum adhuc nouæ rei scholasticæ Cygneæ præesset, Petrus Mosellanus AGRICOLÆ nostro rescribebat, quod in lucubratione, quam, typis paratam, Mosellano ante perlustrandam, AGRICOLA miserat, aliquot latini sermonis figuras, coactas magis, quam proprias, vel commutasset vel molliuisset, & quod typographus libellum typis excudendum suscepisset, inadebatque nostro AGRICOLÆ, vt pro Glauchiano posthac se Glauchium scriberet, & insimul pollicebatur, si ipsi consilia processerint, vt hactenus, quum iam octidui spatio, præter salarium suum, in Collegii maximi dignitatem adlegatur, quod ipsum in partem prædæ aliquando vocaturus sit. Verba epistolæ hæc sunt:

S.

Quod nuper tibi non e vestigio per bibliopolam tuam rescripsi, ob multas & eas quidem molestas accidit occupationes: Quibus eo temporis articulo sic

sic distrahebar, ut, quid potissimum vel finiendum vel omittendum mihi esset, igno-
 rarem. Nunc de lucubratione tua sic habe. Placere eam mihi, ut quae maxime,
 esse tamen in ea aliquot latini sermonis figuras coactas magis, quam proprias.
 Has ut meo arbitratu vel commutem vel molliam non opinor egre feres. Qui
 alioqui meo iudicio rei summam commiseris. Typographus noster Lotherus ob-
 viis, quod aiunt, manibus libellum formulis suis excudendum suscepit. Sed nec
 dum. Vacant formae huic negotio idoneae. Ut ad Trinitatis sanctae ferias istic li-
 bellos distrahendos desperem. Attamen in hoc ero totus, ut res maturetur. Sed
 & illud mihi in te permisi, ut pro posthac Glauchano sis nobis Glauchius. Hoc
 enim mollius mihi videtur. Iam quod ad nostras res attinet, ostium aperui studi-
 osis & bonis omnibus hic ad fortunas emergendi. Nam eum nuper quidam ex
 his, quos hic Collegiatos vocant, vita functus esset, tantum partem coram, partim
 per litteras in aula effeci, ut illustrissimus Princeps Sophistis nostris ab electione
 deiectis eas fortunas ipse suo arbitrio dispensandas suscepit. Quae res his homi-
 nibus τοῖς ἐλωτίοις τῆς ἀρχῆς ἀρχῆς, pene omnem emergendi spem ademit.
 Pro certo futurum est, ut octidui spacio praeter salarium meum in Collegii quo-
 que maximi dignitatem adlegar. Siquidem res apud Principem iamdudum fuit
 certa. Quod si nostra nobis consilia processerint, ut haecenus, & tu in partem pra-
 da aliquando vocaberis. Ad haec Nationum discrimina quae haecenus hic sunt ob-
 seruata, non nihil ad aequalitatem concordiae matrem reduximus sola Principis au-
 thoritate freti. Prae lectio Augustini miro successu a me suscepta enecat istos, qui
 nolint sinceriore theologia restitescere. Sunt in hac nobis auditores supra du-
 centos, atque inter hos monachi plus duodecim, Magistri & Theologiae Baccalau-
 rei supra viginti: Guolphangus Wildheccus ad nos commigravit. Vir homine
 ut olim familiarissime. Placet ingenium, placet iudicium. Nisi paulo magis ab
 eorum laboribus exequendis refugit, de quibus tamen iudicium facere non conatur,
 figurate tamen. Nimirum quorundam parum candidorum hominum contagio in-
 sectus. Tu bene vale & has litteras nulli nisi fortasse Stellae nostro communica,
 cui me servulum esse dicito, quantumvis raro scribam. Lipsiae pridem Calendae
 Junii An. MD XX.

Petrus Mosellanus.

Theodorum emaculatum mitto.

Optimo pariter & eruditissimo homini D. GEORGIO

AGRICOLAE, Glaucio, apud Cygneos ludi grae-
 co-latini magistro, suo amico charissimo.

Zu Zwickau dem neuen Schul-Meyster.

Lipsiam itaque non diu post, Rectoris munere Cygneae abdicato,
 commigravit, Lectorque Petri Mosellani, qui eo tempore columna habe-
 batur Vniuersitatis, ibi aliquandiu factus, in Italiam abiit, ubi inter alios

Nicola-

Nicolaum Anconem, qui in medicina, quam docebant Arabas secuti, diligenter versatus, & Iohannem Nævium, Chemnicensem, qui tum in latinis & græcis litteris, tum maxime veteri illa medicina eruditus erat, audiuit. Ex Italia autem anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto in patriam redire factus ad sudetos montes se contulit, rei metallicæ studio ardere cœpit, & ab amicis persuasus, a. 1527. in Valle Ioachimica officium & munus medendi suscepit, vbi, quicquid temporis vacuum habuit a munere & a cura rei domesticæ, id totum consumsit in percunctandis hominibus artis metallicæ peritis, & in legendis scriptoribus græcis & latinis, quos aliquid de metallis putabat memoriæ prodidisse. Ita ut tandem, quum videret, extare perpauca, plura abolita, ipse animum induceret scribere de rebus subterraneis, quæ vel legisset, vel ex peritis rei metallicæ didicisset, vel ipse vidisset in fodinis & officinis. Anno millesimo quingentesimo trigesimo circiter primo ex Valle Ioachimica Chemnicium commigravit, vbi se studio physicæ & medicinæ totum dedit, eque tenebris, quibus obruta iacuerant, subterranea eruere & in lucem proferre conatus est. Quod ut eo feliciter præstaret, accepit tandem a Mauritio, Principe Saxonæ, inuinitatem ædium, & vacationem publici muneris, ac Georgii Cammerstadii, Iureconsulti, suafu, annuum stipendium sibi decretum. Fecit tamen ipse non paruos de suo in eam rem sumtus, & rei familiaris, quam honestis rationibus, si non toto animo in ista studia incubuisset, rerumque occultarum cognitionem maioris, quam diuitias & opes aestimasset, multum potuisset augere, iacturam non exiguam. Extat epistola Erasmi Roterodami anno 1533 ad AGRICOLAM data, in qua scriptum est, errore esse factum, quod nondum librum AGRICOLÆ vidisset, seque paratum esse ad omnia efficienda, quæ vel commodis AGRICOLÆ, vel dignitati eius, conducerent. Verba huius epistolæ sic habent:

Errone factum est, quod nondum vidi librum tuum, sed est in tuto. Breui visurus sum. Gaudeo quod ex parte liberaris fidem tuam. Si quid a me præstari poterit, quod vel commodis tuis vel dignitati conducat, efficiam, ut intelligas me nunquam in officio cessasse. Plateanus offendit me & occupatissimum litteris scribendis, & multis modis luctantem cum Martio, qui non desinit omnes huius corpuleuli sinus lustrare, in sinistra costa meditabatur pleuriticum, mox in sinistro pede veram & acrem podagram, deinde in dextro lumbum, nunc in dextro

dextro brachio paralyticum. Mihi tamen illius colloquium non fuit iniucundum.
Bene vale nono Cal. April. 1533.

Erasmus Roterodamus,
iuxta manu.

Eruditissimo viro D. GEORGIO AGRICOLÆ, medico.

Ut inscriptionis crucis, quæ tunc Cygneæ chara erat & sancte colebatur, quæque posthac ab hostibus direpta est, senatui huius urbis, a quo, ut id efficeret, multum sæpe rogatus fuerat, interpretationem veram daret & naturalem, hujus rei ergo iter tandem in Italiam suscepit, & doctissimis ibi viris conuentis, quæ sub verbis peregrinis, peregrinarum literarum notis in hac cruce aurea insculptis, sententia subiicienda esset, didicit. Ex Italia itaque in patriam reuersus quum interpretationem huius inscriptionis in cruce ista aurea insculptæ ad senatum Zwicauensem non statim misisset, M. Stephano Ruso, tunc scribæ senatus Zwicauensis, cui recte hæc cunctatio imputanda sit, anno 1536 Cal. Febr. litteris sequentibus significabat:

S. D.

Inscriptionis vestræ crucis interpretationem a tuo statim discessu misissem, si Valentinus Hertelius, qui nuncium agere voluit, variis negotiis impeditus rem in multos dies non traxisset. Quare quicquid hæc cessatione commissum est, huic recte imputabitur, non mihi. Tu vero pro amicitia nostra sic meam in hæc re diligentiam commendabis senatui, ut intelligam, commendationem tuam non fuisse vulgarem. A me autem saluere iubeas velim viros multis nominibus ornatissimos, Consulem Osbaldum Lofanum, Leonhardum Natherum, Stephanum Wildum, Christophorum Eringium, Antonium Romhildum, Petrum Plateanum, ac reliquos amicos. Vale. Chemnitii Cal. Febr. MDXXXVI.

Georgius Agricola.

Claro & docto viro, D. M. STEPHANO RUSO,
Scribæ Senatus Zwicauis, Amico.

Esti vero omnem huius cunctationis culpam in Hertelium suum transtulerat, attamen interpretationem ipsam plus septem mensibus post datum misit, sub epistola longa, senatui Zwicauensi inscripta, insequentem:

Prudentissimo Grauiissimoque Senatui Zwicauio Georgius Agricola S. P. D.

Stephanus Rusus Senator & primus scribarum, viri ornatissimi, nuper me conuenit nomine vestro, primum multis verbis, quæ est eius eruditio & facundia, comite

commemorans, me optime de republica vestra meritum, quod apud vos ludum aperuerim, in quo Græca & Latina littera vna cum bonis moribus docerentur. Unde ex eo, præter alios non indoctos, egressum Georgium Holoandrum, singulare ciuitatis vestre decus, qui ad communem hominum vtilitatem iura ciuilia commendando æternum nomen sibi nobisque peperit. Ea vero de causa sæpenumero bonam mei figri mentionem, mihi que gratias agi quam maximas. Deinde vos aiebat meum erga rempublicam vestram animum constantem ex hoc non obscure intelligere, quod, in exteris regionibus constitutus, ea studiosius inquirere non prætermiserim, quæ ad vos maxime spectarent: Nempe quid sibi vellent ignota litterarum figura, quibus illa vestra erux aurea est inscripta. Quam interpretationem vos magnopere cupere rogareque vehementer, vt quam primum mittam, nam timere, ne, si aliquo casu ex hac breui & incerta vita abriperer, mecum intermoriatur. Pergrata mihi hæc hominis docti & facundi fuit oratio. Gesticbatur animus meus præ eximia quadam lætitia, quis enim non gauderet se beneficio diuino id egisse, quod profuerit plurimis? Sed profecto mihi rem rectè consideranti maxima gratia deberi videntur, imprimis ordini vestro honestissimo, cuius prudenti consilio, sententia concordi, forti animo, non exiguis impensis, ludus fuit institutus; Tum non exigua Stephano Ruffo; is enim tunc veteris ludi magister me in vestram urbem adduxit. Quo nemo, quod sæpe mirati sumus, minus agre tulit nouum aperire ludum, cum nemini ea res magis esset damno. Fecit certe, quod boni viri facere solent, qui suorum vtilitati patriæ rationes & commoda libenter præferunt. Nunc autem in eam spem facile adducor, vt ludum bene feliciterque processurum existimem, præsertim cum senatus vester tam doctis tam præclaris viris sit refertus, cum Osbaldus Lasanus, patriæ maximus amator, Consulem agat, cum ludum regat Petrus Plateanus, cum Leonhardus Natherus eundem curet & tucatur, cum denique seminet verbum diuinum Christophorus Eringius. Sed de ludo plus satis. Iam antea quam ad inscriptionis interpretationem, quam pro vestris in me beneficiis inlito libentissime, veniam, libet referre, quos viros de ea conuenerim. Id inuindum est renouasse in memoriam, vobis audire, quod spero, non erit ingratum, cognoscetis namque meum in rebus vestris studium & diligentiam. - - - Contuli me post aliquot menses (cum neque Lazarus Bonamicus, neque Romulus Amasius, neque Paulus Ægineta, neque Martinus Iudæus, in Græca litteratura veratissimi homines, soluere nodum possent,) Venetias, vt Medicos sectarer, & Galenum Græce legerem. Annum ferme in ædibus Andrea Afulani, foceri Aldi Manutii, egeram, nihil amplius sollicitus de litteris ignotis, cum præter omnem spem librum ab Afulano isdem characteribus excusum conspicior. Profero litteras ignotas. Easdem video. Percontor, quorum sint. Dicunt Croatarum esse. Num Croata Venetiis agant, interrogo. Respondent Iohannem Tryphonem Dalmatam, in Academicis eruditissimum, eius lingua non ignarum. Gaudeo plurimum, nec differo ire ad Tryphonem. Quid multa? litteras agnoscit, & Cyrilli ait esse. Quis tandem dies fuit ille Cyrillus? Diuus, inquit, vt nostri Presbyteri sentiunt, asserentes, eum Venedicas gentes, i. e. Croatas, habitantes partim in Dalmatia, partim in inferiori Pannonia, Bosnienses & Ser-

uos in Mysia, Sclavinos in Allyria convertisse ad Christi fidem, & proprias eas literas, quibus Sacra scriberent, ipsis inuenisse. Rogo, ut interpretetur inscriptionem, diligentius eam considerans, inquit, omnes dictiones non intelligo. Post aliquot dies ad me venturi sunt sacerdotes Croatae. Tunc te vocabo, nec dubito, quin sensum tibi omnem aperuerint. Cum itaque venissent, vocor a Tryphono. Sed nec ipsi satis intelligunt. Aiunt vero Seruorum esse idioma. Numquid Seruius, inquam, reperitur Venetiis. Respondent, se neminem litterarum peritum nosse, nec vllum melius inuenire posse consilium, quam ut secum inscriptionem auferant & mittant Seruiis. Dico, me ea de re deliberaturum. Et sic moestus & incertus animi discedo, vixque limen egressus eram, cum reuocor a Tryphono. Tunc vero vnus e Presbyteris inquit: Stephanus Paschalis, Patritius, Venetus, quinti canalis accola, multos annos egit in Seruia, proprietatis loquendi gnarus. Is Tibi dubio procul, quam tantopere quaris, declarabit. Crastina luce ducam mecum Tryphonem ad virum, & cum eo hisce de rebus colloquemur, quod ab ipsis factum est diligenter. Non post multos dies in Bibliopolium Aldinum conuenimus. Ibi Stephanus Paschalis, scriptioe visa, statim maximam partem intelligit: fert tamen eam secum domum accuratius litteras inspecturus. Altera die refert illam cum huius sententiae interpretatione:

Hac veneranda crux est fabrefacta iussu Regina — — & in eadem Sanctae Trinitatis ad fontem posita. Insunt in ea quinque frusta venerandi ligni integri & quatuor gemmae. Ligna frustra sunt emta duobus millibus nummorum: gemmae & aurum mille nummorum valent. Quicumque partem ligni huius crucis violenter ex ade Sanctae Trinitatis auferet, diuinae maledictioni subiaceat, crux perimat eum veneranda. Vbiunque vero locorum quis ablatam reperiet, eam restituat ad Sanctae Trinitatis: non restituentem perimat Deus & crux veneranda.

Caterum Reginae nomen legere non quirit Venetus, quod littera ab eo, qui descripsit, posita in dictionem non coiret. — — Caterum nummos si aureos intelligimus, qui Graecis & finitimis gentibus sunt pondere drachmae, dedit regina in compensationem defecti ligni venerandi tria millia nummorum aureorum Rhenanorum, Gemmae vero & aurum valuerant mille & quingentos aureos Rhenanos, quanto enim auri minus est, tanto maioris illo tempore existimate sunt gemmae. Locus autem indicatus, Inscriptio, pretium Veneto fidem fecerunt, vt crederet, venerandum lignum esse, nec satis rationis mihi videor, cur cum ipso consentire non debeam, quod Graecis perpaucae semper & non nisi certissima fuerint reliquiae. Item Veneticis gentibus maxima ex parte. Quo magis, si verum fateri volumus, damnandi fuerunt homines impii, qui vulgo simpliciter ossa quavis e polyandrio desumpta veneranda obtulerunt, vel stramen aut fenum ex horreo sive stabulo collectum praebuerunt osculandum. Sed tantum pretium nemo debet mirari, quid enim

enim præter sancta nostræ religionis anchora pretiosius esse ligno potest, super quod extensus est Christus? quod suo conserpsit sanguine? in quo nos a seruitute Diaboli liberauit? Ipse enim, inquit Petrus, peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui iustitia uiueremus. Vile igitur est omne argentum, vile aurum purissimum, viles pretiosissima quæque gemmæ huic nobilissimo ligno collatae. Ne plura, Theaurus est, qualis non, opinor, in nostra Misena reperitur, quid dico? Quis cernet non memor suæ salutis vix in tota Germania. Quis enim hoc venerandum lignum inspiciet dominicæ passionis immemor? Imo totius generis humani? Quis videbit non mox agens gratias Christo seruatori nostro? Recte, fecerunt maiores vestri, qui coram eo laudes meritissimas Christo frequenter cecinerunt. Quos hac parte, quia imprimis egerunt pie sancteque, vos maxime debetis imitari. Valete viri optimi.

Chemnitii Cal. Octobr. Anno MDXXXVI.

Ad remunerationem vero laboris & studii, in hac interpretatione consequenda collocati, Senatus Zwicciensis, præter certam quandam summam pecuniæ, D. GEORGIO AGRICOLÆ dono dedit scyphum argenteum, quindecim, ni fallor, aureis Rhenanis emtum, in quo exsculptum erat hoc elogium, a Petro Plateano scriptum:

Cygnei patres Lasio cum consule mittunt

Agricola doctis pocula digna labris.

Extant quidem alia duo, vnum itidem a Petro Plateano:

Hæc tibi Cygnei venerunt dona senatus,

Reddita pro meritis, doctæ Γεωργε, tuis.

alterum autem a Stephano Rodte scriptum:

Candida donauit Cygnea hoc munere doctum

Agricolam, grates pro Cruce iure ferens.

Liberis Iobi Wildeckii, olim senatoris Chemniciensis, tutor constitutus, isto eodem anno 1536. Stephanum Rodt, scribam senatus Zwicciensis, renunciationis, quam Wildeckius, in rebus a parente vxoris suæ per hæreditatem acceptis, Zwicciæ aliquando præstiterat, exemplum rogabat, litteris, lingua vernacula scriptis, sequentibus:

Mein ganz willige Dinst zuvor, Achtbar Erbar grosgunstiger Her vnd freunde,
 Ir traget sonder Zwenfel gut Wissen das Jobst Wildeck zum ehelichen
 gemal gehabt Nickel Hendeis Tochter Magdalena beide selige, mit welcher dan
 er

er ein erbfaß Tres vetterlichen antheils bekommen, als nheimlich 2567. fl. II. gl. 2. pf. auferhalten der kleynod vnd was sonst zw der gerade gehord, Die weil ich, dan von Jobst Wildecken schriftlichen Bericht empfangen, das er nach gereichten vnd bezalten erbfaß verzicht vor dem Herrn Schlecter, der Zeit Stadtvoyd, gethan, derselbige auch Ins Woydis Buch verleihet, wie vbllich, gelanget an euch mein gütlich pete, wollet den Vnder stadtschreiber diese verzicht lassen suchen und mir ein abschriß die selbigen zuschicken, mit Vermeldung, was Im darvon gepurt, wß Ich Im vffs fürderlichste zw danck zuschicken, Die Verzicht ist angeferlich vor fünf oder sechs Jahren geschehen, Ich bedarff solche abschriß vor wegen der vntundigen kinder Jobst Wildecken, ab Ich derselbigen die Güter alhier, so von seinen glaubigern angefochten werden, mocht erhalten, Bit euch hier Innen wilferig zwerzeigen, des bin ich allezeit nach vormogen zu verdienen vorfassen, datl. kempicz sonntag nach Laurentii. Anno 1536.

E. A. B.

Georgius Agricola,

Doct.

Dem Achtbaren vnd Erbaren Hern Magistro Stephano
Kodr, Stadtschreiber zw Zwickaw, meinen Gunstigen
Hern vnd freunde,

Anno 1549. epistolam ad eum ex Italia misit Valerius Codrus, qua præter alia, AGRICOLÆ suo significabat, se, quum Deus ipsum saluum in patriam reducerit, multa omnino allaturum esse, quæ ad studia metallica pertinerent. Omnis sententia epistola huius hæc est:

S. P.

Acepi litteras tuas humanissime domine Doctor, in quibus mentionem facis parui cuiusdam metallicarum & fossilium rerum fasciculi, quo fit vt dubitem, integrum ad te peruenisse. Mihi autem nunc non succurrit, cui illum dederim, cum eo tempore, quo ipsum mitterem, in diuersa distractus esset animus discessum paranti mihi, cum reliquis libris, etiam Commentarios in primum Dioscoridis librum & partem secundam in vase componentem, quos deinde non sine molestia erudere potui, nisi omnia exemissem e vase, quare de iis ne sis sollicitus. Fossilia metallica in alpiibus sunt plures, quas obiter inspexissem in itinere, nisi pestis hæc obstiteret, quæ tum vbiq; in Alpibus oppidis grassabatur. Non longe a Pozen versus Germaniam, maximam vidi Calaminaris lapidis copiam, aliarum ruperium modo comallibus incumbentis, Marmorum item diuersa genera in alpiibus Tridentinis, quæ partim saxa partim lapides essent. Præterea nihil e fossilibus hædi, quoniam tota hyeme Patavii delitui & bacchanalia atque quadragesimam huc usque Venetiis transegi inquirendorum piscium gratia, quorum non minus in eunda quam

quam herbarum est cognitio. In Vicentinis montibus audio esse argenti & plumbi fodinas, quas inspiciam, cum otium nactus fuero, spodium illic fit, quod cum Goflariensi de bonitate certet. Vidi apud quosdam etiam e Cypro allata metallica, res nullius momenti, & tantum speciosis nominibus, non tamen propriis insignita, quod ad rerum cognitionem attinet, homines hic reperio admodum rudes & imperitos, & nisi a rusticis docerentur, qui pleraque suis adhuc nominibus appellant, profus ignari essent. Ego breui Roman & Neapolim me conferam, ubi diligenter lustrabo baijanum sinum & vicina Puteolis loca, in quibus nihil esse periculi audiuerō, allaturus multa, quæ ad tua pertinent studia, cum Christus saluum me in patriam reduxerit, D. Franciscus Frizomolega, quem tuo nomine salutavi, diligenter de tuis studiis quæsiuit. Dono mihi dedit vaseculum quoddam, quod dicebat e vera armenica bolo esse factum, color illi latericius. Ego dubito an e bolo ista olla fieri possint. Videtur enim aliam naturam habere quam figulina creta. Fragmentum ollæ Lemniæ quo modo e fasciculo exciderit aut exentum sit, non possum coniecere, ego certus sum, me id singulari studio illi inclusisse. Quæ videro in Italia fossilia diligenter adnotabo & describam, vt etiam ad te aliquis peregrinationis meæ fructus referatur. Interim vale humanissime vir & me tibi commendatum habe, saluta quæso omnes amicos nostros, Hertelium, Gregorium & Vxorem tuam. Datum Venetiis anno 1544. d. 20. Aprilis.

H. T. S. Valerius Cordus.

D. Wolfgangus Meurerus inter cætera etiam referet,
quomodo mihi placeant & Itali & Italia.

Clarissimo Viro D. GEORGIO AGRICOLÆ domino
amico suo obseruando.

Chemnitii.

Nullum certe dubium est, quin grauis quædam commendatio AGRICOLÆ & adiumento & ornamento fuerit, vt ille, anno 1546. Chemnitii in senatum electus, atque illico consul creatus sit. Turciarando anno 1547. ciues quidem inter se confirmauerant, se, ne præda hostibus parata essent, corpora esse opposituros, sed quum FRIDERICVS vs Elector isto eodem anno vrbi, vt se dederet, denunciaisset, AGRICOLA, periturus factus, clam, vrbe relicta, se subduxit, de eo præsertim grauitertimens, quod in conuentu prouinciali Frybergæ peracto, ciuibus omnibus inscientibus, tabella autem sigillo senatus impressa, istam conditionem accepert, vt Princeps MAVRITIVS Electoris regionem finesque expugnaret. Quod audax admissum deinde fuit, vt demum anno 1552. a senatu segregatus sit, in quem tamen anno statim insequenti 1553. rediit. Anno 1555. quum vna cum litteris pecuniam, vt pro defunctis, de quibus mentio

mentionem in litteris fecerat, supplicaretur, ad Episcopum Misnensem mississet, Episcopus istis litteris AGRICOLÆ humanissime rescripsit, se demandasse sacerdoti cuidam, vt diligenter pro defunctis, quos nominasset, supplicaret, laudato AGRICOLÆ, quod cum ecclesia sancta & apostolica sentiret, cum ista adhortatione, vt animum, fortassis miseria perturbatum, ita moderari vellet, vt omnes intelligerent, ipsum ab illis alienissimum esse, qui spem non habent. Verba epistolæ ipsius hæc sunt:

Litteras tuas, vir doctissime, reddidit mihi nuncius tuus vna cum pecunia ad me missa. Quod vero ab Arianis dissentis, & cum ecclesia sancta & apostolica sentis, id quidem valde commendandum iudico. Nunquam enim fieri potest, vt ille Deum habeat patrem, qui Ecclesiam Catholicam non agnoscit matrem. Pecuniam ad me missam M. Iacobo tradidi, eique demandavi, vt in pietatis usum eam vertat, diligenterque pro ipsis defunctis, de quibus mentionem litteræ tuæ faciunt, supplicet, quando ad altare dominicam accedit, quod & ego officii me illis præstiturum promitto. Tu vero pro prudentia tua & sacrarum litterarum sciencia, quibus polles animum tuum, (aliqua fortassis iam miseria perturbatum,) ita moderaberis, vt omnes intelligant, te ab illis esse alienissimum, qui spem non habent. Cupio D. T. in Domino semper bene valere. Cursum Stolpii II. Mensis Marci Anno Christi MDLV.

Nicolaus Episc. Misn.

Excellentissimo Medico & Doctissimo viro Domino

GEORGIO AGRICOLÆ, amico carissimo.

Vxorem AGRICOLÆ sibi adiunxerat Matthiæ Meyneri, Chemnicensis, qui Schneebergæ, vbi Duci GEORGIO a decimis metallicis fuit, circiter anno 1523. mortuus fuerat, viduam relictam. De liberis eius filiolum Theodorum certe nouimus, quem ex vxore, quæ vocabulo suo Anna nuncupabatur, anno 1550. d. 14. April. suscepit, & filiolam Helenam, si recte memini, cuius morti præmaturæ anno 1555. d. 10. Febr. illacrymatus est. In bello germanico, cum MAVRITVS & AVGVSTVS, fratres, Cæsaris exercitum per Bohemiam persequerentur, AGRICOLÆ, vxore pregnante cum dulcissimis liberis domi relictæ, fortunæ omnibus etiam posthabitis, cum iusiurandum, quo eis erat deuinctus, nullo modo negligendum putaret, in exercitu eorum pene senex militauit. Amicis præcipue usus est, in Wolfango Meurero, metallica a puero docto, quæ Altenbergum, patria eius, gignit, Georgio Fabricio Chemni-

Chemnicienſi, antiquitatis omnis olim ſtudioſo, Valerio Cordo, Romæ immatura, ſed beata morte extincto, Eraſmo Roterodamo, Iohanne Dryandro, Paulo Ebero, Cornelio Sittardo, Caſpate Cornero, & aliis viris doctis. De obitu & doctrina eius hoc elogium reliquit Iaculus Auguſtus Thuanus, his verbis: *His (qui tum mortui narrabantur) annumerabo Georgium Agricolaſ, qui de re metallica, foſſilibus, & ſubterraneis animantibus ita accurate hoc ſeculo ſcripſit, ut omnes antiquos in eo genere longe ſuperauerit, & exacta non ſolum eorum, que a veteribus prodita ſunt, explicatione, ſed a multarum rerum, quas veniens ætas indagabit, veſtigatione, eam hiſtorie naturalis partem illuſtrauerit, addita poſt Guilielmum Budæum, Leonardum Portium, & Andream Alciatum, ponderibus menſuris, de pretiis metallorum, & monetarum diligentiffima tractatione, ac tandem anno 1555. Chemnicii Hermundurorum, haud longe a maxime famoſis hoc æno Saxonum VII. virorum argenti fodinis, ubi multa ipſe coram, priſcis incognita, propriis oculis exploravit & obſervavit, ultimum vita diem claſſit XI. Cal. Decembr. cum ænum ætatis LXI. ageret.* Et Matthiolus ad Caſp. Næmium Med. Lib. II, Epift. queritur, hunc præclarum probumque ſenem in patria tantum terræ non inueniſſe, quo ſuum operiretur cadauer, quod cur factum ſit, breuiter indicabimus. Aetate nempe ad ſenium vergente, quamuis antea, tum alia, tum indulgentias pontificiorum, ſemper improbaſſet, quorundam imprimis Theologorum incautiſ ſcriptionibus, vitaque Lutheranorum aliquorum ſcelerata vita offenſus, vehementiſſime autem *ενοουαχία* ac ſeditione ruſtica, reformatam religionem, quam ſatis diu adhuc multis in capitibus antea amplexus fuerat, AGRICOLA tandem odiſſe cœperat, valde vehemens & pertinax nunc in propugnanda eccleſia Romana eiusque dogmatibus factus, quo tamen abduxit eum & hoc, quod natura ſua pompam eccleſiaſticam & ceremonias magni faceret, & ſplendori externo fere nimium deditus eſſet. Iſto ſuo religionis feruore factum eſt, ut, quum aliquando acerrime cum aliis quibuſdam de rebus theologice magna contentione animi diſputaret, ira proſus furens in febrim mortiferam incideret, quo ille correptus non diu poſt d. 21. Nov. anno 1555. ætatis 61. Chemnicii tandem e vita diſceſſit. In pontificia igitur religione permanens, quia, iam moribundus, ſupremo viatico reſci noluerat, ipſe Elector AVGVSTVS, cui M. Iohannes Tetelbachius, tunc temporis Chemnicii Paſtor & Antiſtes ſum-

summus, non Caluiniſta, ſed Theologus integerrimus, hæc omnia diligenter litteris ſignificauerat, AGRICOLAM noſtrum Chemnicii honorifica ſepultura prohibuit. Tandem vero propinqui eius impetrabant ab Epifcopo Iulio Pflugio, quum dies quinque Chemnicii inhumatum iacuiſſet, vt cadauer eius, die Mercurii poſt Catharinæ, in plauſtrum Chemnicii impoſitum, perque Pœnicium recta Cizam translatum, ibique in templo Cathedrali ſepultum ſit. Quod generoſus & nobilis Valerius Agricola, qui anno 1609. d. 7. Maii Chemnicii ſepultus eſt, ex poſteris AGRICOLÆ noſtri, Georgius vero Agricola, qui anno 1550. Lipſiæ in muſarum caſtris militauit, & in Canonicum Erfurtenſem enaſit, Iohannes Agricola, qui ao. 1555. Lipſiæ ſub Præſide Alexandro Aleſio publice reſpondit, & deinde etiam Canonici partes apud Erfurtenſes egit, & Martinus Agricola, qui itidem Lipſiæ anno 1548. præſidio Iohannis Sinapii munitus, publice diſputationem quandam ventilauit, & ſimiliter inter Canonicos Erfurtenſes receptus eſt, omnes Chemnicienſes, filii eius, vel tamen propinqua cognatione cum eo coniuncti fuerint, in his omnibus famæ rerum ſtandum eſt, vbi certam non ſuggerit vetuſtas fidem. Extat in AGRICOLAM noſtrum Georgii Fabricii Epigramma, cuiusmodi ſub lemmate: Doctrinæ admirabilis.

*Agricola e terris theſaurus eruit omnes,
Quoque forent uſu, quo pretioſe docet.
Debit in terris vir tantus uiuere, quo non
Ingenium maius patria noſtra tulit.
Urbe iacet Citio, vitreus quam tangit Eliſter,
Fama viri terris intumulata manet.*

Lufit in libros eiſdem, qui recensentur a Melchiore Adamo in vitis eruditorum, & a Petro Albino, in Chronico Miſnensi, idem Fabricius ita:

*Viderat Agricola, Phæbo monſtrante, libellos
Iupiter, & tales edidit ore ſonos:
Ex ipſo hic terræ theſaurus eruet Orco,
Et fratris pandet tertia regna mei.*


Iohannis Potini de AGRICOLA noſtro iudicium, quod omittere nolumus, cuiusmodi eſt: *Metallicam diſciplinam ita tractauit Georgius Agricola, homo Germanus, vt Ariſtoteles ac Plinius in eo genere nihil intellexiſſe viderentur.*


X-355 97 97 Ka 147 QK

antur. Et hæc de nostro AGRICOLA ex Melchiore Adamo, de vitis eru-
ditorum, Petri Albini Chron. Misn. Iohann. Conrad. Knauth. de Histori-
cis Misnæ, Christ. Guilhelm. Eub. continuatione Eponomologici Critici
Tobix Magiri, aliis, quæ omnia quidem iam conscribere placuit, quum
nobis rogandi essent PATRONI atque FAVTORES scholæ no-
stræ, vt crastina luce hora IX. ad audiendas oratiunculas quasdam sche-
lasticas, conuenire velint Dicent nimirum

- I. GEORGIUS CHRISTIANVS KEILPFLVG, Annabergensis, demonstraturus, *quod homo homini Deus sit*, Orat. Gallic.
- II. IOH. GOTTH. LOESERVS, Mauersbergensis, expositurus sententiam prouerbii: *in nocte consilium*, Carm. Lat. Her.
- III. CHRISTOPH. LVD. TIPPMANNVS, Annabergensis, con- sideraturus *humanitatem morum*, Orat. Lat. prof.
- IV. CAROLVS CHRISTIANVS GENSELIVS, Annabergensis, affirmaturus, *quod homo non εφίλος, sed πολυφίλος esse de- beat*, Orat. Lat.
- V. IOHANNES GOTTFREDVS SIEGELIVS, Kœnigswalden- sis, expositurus *de dignitate eloquentie*, Orat. Lat.
- VI. CHRISTIANVS GOTTLOB SPINBLERVS, Buchholzensis, moniturus, *vt in eligendis amicis prudentes simus*, Orat. Lat.

Hos igitur vt audire velint PATRONI atque FAVTORES *Hono- ratisimi*, cum *Ciuiibus* vrbs nostræ *humanissimis*, illud & nostro & il-
lorum nomine multum & officiose rogamus. Scr. Annabergæ, d. II.
Ianuar. MDCCCLV.





B.I.G.

Farbkarte #13

Za
147

VITAM
RGII AGRICOLÆ
EXPONIT,

SIMVLQVE
E REVERENDVM


VM EPHORVM,

VT ET
S ET PATRONOS
NITER COLENDOS,
QVI BONIS LITTERIS
HOLÆ FAVENT,

VI
I ORATORIO

CE d. III. IANVAR. MDCCLV.
H. L. Q. C.

TER INTERESSE VELINT,
T, PIETATE ET MODESTIA,
ROGAT ET VOCAT
NIEL RICHTERVS,
SOCIET. REGIOMONT. TEUT. SODALIS.



ANNABERGÆ,
GVSTI VALENTINI FRISII

